





XVI, 31-42



AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS  
ET PRESBYTEROS EC-

clesiarum Sarmaticarum ANDREÆ  
FRICIJ Modreuij ORATIO  
, Tercia de pœna homicidij.

Cracouię apud Hieronymum  
Victorem, Anno, M, D, XLV.



VI, 31

AD. AS. CH. 17  
PROPOS. BRIS. 17  
DE. PRESBYTEROS. 17  
C. 17  
C. 17  
C. 17

17  
17  
17



T  
O  
I  
p  
ce  
r  
ci  
d  
li  
C  
m  
l  
st  
u  
a  
a  
b  
e  
g  
c  
e

THOMÆ SOBOTIO, RE-  
GNI POLONIAE CANCELLA-  
rio, Burgrauio Cracouiensi, Tribuno  
Lanciciensi, & Capitaneo Rauē-  
si, viro Nobili & Magnifi-  
co, Andreas Fricius  
.S.D:

**N**ON possum adhuc, uir clarissime finem facere  
de lege diuina in homicidas scribendi. Non quod  
putem me magnum nostra scriptione operæ prætium fa-  
cere posse in ea Rep. ubi nostra hæc studia à nonnullis  
ridentur, ab alijs uituperantur, à paucis certè benignè ac-  
cipiuntur: Sed quod tempus ac otium nostrum in ijs me-  
ditandis libentissimè consumimus, quæ ad Remp. & re-  
ligionē conseruandā quoquomodo pertinere uideantur.  
Quo te etiam studio ac uoluntate esse cum multorum fa-  
miliarium tuorum sermonibus cognoui, tum ipse ex col-  
loquijs mutuis nostris penitus perspexi. Sed quia tamen  
studia longe & multum studijs nostris ad splendorem &  
utilitatem antecellunt, Etenim Quicquid nos ingeniolo  
ac opera consequimur nostra, id omne in contemplando  
ac scribendo continetur, Tu autem qui in maxima cele-  
britate & tanquā in clarissima luce uersaris, studia &  
curas tuas ad negotia & salutem Reip. conuertis. Cuius  
quidem rei efficiendæ amplissimam occasienem nactus es,  
cum tibi nuper, Cancellarij munus traditum ac mandatū  
est: qui pro tua doctrina, uirtute, & in omni officio ad-

ministrando sedulitate, alijs in rebus perfecta, nihil  
sis eorū prætermisurus, quæ ad Reip. salutem & digni-  
tatem pertinebunt. Etenim si quis rectè reputet, amplissi-  
ma est tanquam materies cancellario subiecta, quæ tra-  
ctet, in qua uirtutem exerceat, ac de Rep. uniuersa mere-  
atur. Itaq; & Reip. custos, & priuatarum cuiusq; rerū  
administer, & principis sui cor non immerito existima-  
tur. Quod tu cum olim probè scires, ita semper & in  
studijs literarum: quod ex tuo sermone facile apparet: et  
in aula regis uersatus es, ut & multis muneribus fun-  
gendis, & legationibus amplissimis obeundis, & summo  
Cancellarij officio exequendo dignus putarere. Atque  
utinā quāplurimos haberemus in hac Rep. similibus stu-  
dijs incēsos. Profecto nō dubitarem nō modò hanc impiā  
uite humane nundinationem: sed etiam reliquam, si quæ  
extaret, barbariem, ex nostra Rep. breui tempore expul-  
sum iri. Mitto igitur tibi tertiam orationē de poena ho-  
micidij nostram: non quidem adhuc perfectam neq; satis  
expolitam. Eam ita scripsi, ut si ad Episcopos & pres-  
byteros & ormaticos haberetur: ut quoniam primam o-  
rationem inscripsi Regi, Secundam ita scripsi quasi ad  
Senatum & ordines regni habita fuisset, Hæc tertia sit  
ad ordinem ecclesiasticū. Hanc mi patrone pro tua in me  
beneuolentia & in literas summo studio tuo, uelim legas  
eo animo, quo ceteras nugas nostras legere consueuisti.  
Quod si quid tibi uel addendum uel mutādum uideatur,  
de eo si me admonueris, rem facies summa humanitate  
tua dignam, mihiq; non minus gratam quàm necessariā.  
Sunt qui putent his inscriptionibus, me aliquem facere  
questum

questum. Alij tantum in hoc me chartas polluere aiunt.  
ut his principi subiectis occasionem habeam de iniurijs  
aduersarij mei querendi. Verum ego non alium uellens  
laboris mei ampliorem questum quam si lex diuina in  
Rep. Christiana reciperetur. Etenim de aduersario despe  
rare iam cogor, quando opes eius & gratia maior est, quam  
ut ab homine tenui, quamuis ius omne obtinenti, uinci pos  
sit, presertim cum iudici causam non libeat cognoscere  
nostram. Quem ego quoties de hoc iudicio appellauis  
quoties supplicibus uerbis orauis, non ut gratia aliquem  
mihi apud se (quod iuste negare posset) relinqueret lo  
cum: sed ut uel summo iure aduersus me uteretur? quo  
ties professus sum me in beneficij loco positurum esse,  
etiam si res a me abiudicaretur. Tantum ut ne ea aduer  
sarius sua libidine, sed iudicis sententia possideret. Neque  
deerant uiri graues & gratiosi, qui pro me supplica  
rent. Sed frustra omnia & infructuose petita sunt. Quid  
igitur deinceps a tali iudice mihi petendum esset quam  
ut ignoscet, quod de eo aliquando bene speraui. Sed haec  
fortasse non sunt huius temporis, nisi quod haec apud te tace  
re non potui, qui earum rerum conscius mihi fueris. Quod ue  
ro munerum causa aliquibus scribere putamur, uanius est  
quam ut refelli debeat. Omnino maximis me muneri  
bus affectum putabo, si quando diem illum uidere conti  
gerit, cum Deo nostro cum lege sua suus honos datus fu  
erit in hac Repub. Sed & haec haftenus. ad rem redeo.  
Commendaui tibi olim orationes nostras, sed tu ut uiro  
nobilissimo & homini gratiosissimo commendaui, ut tua

authoritate alijs essent cōmendatiores. Nunc Cancellario  
regni cōmendo, nō ut iam eas tantū ab obrectatoribus,  
quod ad huc humanissime fecisti, defendas: sed ut legis  
quam tueor suadendæ, & numatiōis profligandæ onus,  
una cū officio Cācellarij, publicè tibi impositū intelligas:  
sicut te pro tua singulari prudētia intelligere certō scio.  
Res magna est & periculi plenissima, tot capitū hydrā  
superare ac conficere. sed meministi in rebus arduis uir-  
tutem uersari: ad eamq; non nisi labore, sudore, & sum-  
ma uirium contentione perueniri. Neq; illud ignoras, id  
quod & mihi est compertissimū, multos esse in hac Rep.  
uiros principes, quibus persuasum est hanc homicidis pœ-  
nā omni iure, deberi, quā nos suademus. Qui si uirtutē  
illam ad ardua tendentem, si grauitatem et constantiam  
in dicendo & tuendo id quod sentiunt adhiberent: si  
odia pro ueritate sibi perspecta perferre uellēt, non eq-  
dem dubitarē quin legi diuinæ apud nos iā locus debitus  
esset. Sed uarijs in contrariā partē distrahuntur studijs.  
Quorum alij uulgo equitū cedes molientiū, placere; alij  
odia perditorū hominū fugere uolunt; alij alia sequūtur  
studia. Utinam uerò animos eorū Deus ab hisce studijs  
præposteris ad uirtutē & ueritatē sibi perspectā colendā  
ac defendendā conuertat. Te quidē ipsum ad eam rem et  
honus ipse quo auctus es amplissimus, & rationes uite  
tue in præclaris disciplinis à purro uersatæ non leuiter  
cohortatur. Præclare hoc à sapiētibus dicitur. Magistra-  
tus uirū ostendit, neq; illud uel mediocriter literatis igno-



ratur, literis hominē ad uirtutē colendā ac tuendam ad-  
iuuari. Itaq; duos habes acerrimos admonitores, qui te  
dies noctesq; ad uirtutē & ueritatē diuinā adhortētur.  
Cui quidem ueritati defendendæ immori pulchrū & be-  
atum est; ab ea deficere, turpe & exitiosum. Sed tu non  
eges admonitione nostra. Hæc aut scripsi non inflammā-  
di tui: sed uoluntatis ac studij erga te mei testificandi cau-  
sa. Deum præcor opt. max. ut & tibi hunc hono-  
rem fortunet, & tu in eo de Rep. quāoptime  
mereri possis, Vale viij. kal. Iul. Anno  
Christi .M. LXV. Breznyijs.

# AD ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS,

& presbyteros Ecclesiarum Sarmaticarum,

ANDREAE Fricij Modreuij O

ratio tertia de poena homicidij.



**S**si vereor, Antistites & presbyteri sacrorū, ac interpretes religionum sanctissimi, ne quem offendat hoc nostrum toties repetitum, de lege diuina in homicidas, dicendi studium; Tamen humanitas & prudentia vestra, hoc amplissimo ordine vestro digna, mirificè reficit & recreat me sperantem fore, vobis hoc officium meum pietas ti, quod filius patrię debeo, assignetis. Hoc enim statuo pietatis officium esse summum, dare in id operam, vt Reip. Christianę lex diuina restituatur. Ea inquam, lex, cuius obseruatione salus reip. & religionis dignitas possit maximè contineri. Sic etiam iudico neq; mihi licere neq; esse integrū, vt me ab ea causa subtraham, quam semel suscepi tuendam. Laudantur enim ab omnibus qui in re honesta non defatigantur: contrà qui oneri cedant, vituperantur, pro inertibus ac desertoribus

A iij habentur

habentur: Cū quidem illud in more positū  
sit, vt nemo ad eam causam libēter animum  
adiungat, quam ab alio videat quasi occupa-  
tam: Tametsi per me quidē vnicuiq; liceret,  
in re tanti momenti vires exerere, ac patrię  
periclitanti lumen ostendere animi & consiliij  
sui. Necq; tamen ignoro quosdā esse, qui par-  
uitate nostra offendantur, quōd homo nec  
ingenio, nec eloquentia, nec dignitate excels-  
lens, argumentum hoc iustis orationibus pri-  
mus in hac Rep. tractare sū ausus: qui etiā,  
si dijs placet, putant homini priuato hanc tra-  
ctationem minimē licere. Sed q̄niam difficile  
est omnium voluntati satisfacere, vt vel dicē-  
do offensionem vel tacendo reprehensionem  
omnium vitare possim: queso liceat mihi per  
vos in hoc quasi campo adhuc excurrere: quē  
ego ab hinc ferē triennium nesci quo impul-  
su ingressus sum. Etsi em̄ nihil habeo vel so-  
lide eruditionis vel eloquētię: quę res due iu-  
re suo assererent me ab iniuria contēptionis:  
Tamen religionis quadam pietate obstrictū  
me esse Reip. puto, vt ei adhuc hoc officium  
p̄ mea parte, cessantibus alijs, prestem. Quid  
quod res ipsa, quam tracto, eiusmodi est, vt  
mihi beneuolentiā omnium esset cōciliatura:  
nam est & fauorabilis sponte sua, & de earū  
numero quę in sermōibus omnium versentur.

Queso

Quæſo igitur, vt cùm rebus magnis ſuperſe-  
deam, hæc mihi cū bona omnium gratia tra-  
tractare liceat, quæ protrita ſunt, & ampliffi-  
mū dicendi campum vnicuilibet ſuppeditare  
poſſunt. Et quoniam in Senatu orationi no-  
ſtre, qua omni iure humano & diuino fulti,  
per Chriſti ſanguinem, perq̃ ſacra omnia vſi  
ſumus, nullus erat locus: ad vos patres atq̃  
ad hoc collegium ampliffimū veſtrum confu-  
gendum eſſe duxi. Quem enim in re tanta ap-  
pellem alium, quem implorem, præter vos in  
hac Rep. habeo neminem. Verſata eſt olim  
Aſtrea, quam eandem Iuſtitiam interpretari  
licet, inter homines in terris, quemadmodum  
eſt in fabulis, præceptaq̃ tradebat morum ad  
vitam honeſtè degēdam neceſſaria, ſed ſp̄reta  
ab hominibus, terras deſeruit, ad cœlumq̃ a-  
ſcēdit. Ita cōputate iuſtitia ab hominibus de-  
ſertam, nunc ad vos venire, tanquā ad q̃ddam  
ſuum cœlum, ad vos res cœleſtes tractantes  
cōfugere, à vobis petere, ne ſe velitis eſſe de-  
ſertam. Nam qd magis Iuſtitiam decet quā  
hominū vitas tueri? Quid aut̄ hominibus cœ-  
leſtibus magis conuenit quā huius animā-  
tis vitam quam tuſſimā reddere, cuius cauſa  
& cœlum conditum ſit, & hæc rerum cun-  
ctarum moles vniuerſa? Neq̃ vero putate pa-  
tres cauſam hanc rationibus muneris veſtri  
aduer

aduersari obesseq; aut macula sanguinis vos  
ex hac dicēda sententia aspersū iri. Quinimò  
propriū hoc ordinis vestri esse putate de iu  
re diuino, cuius interpretes estis & doctores,  
verissimè & fortissimè respondere. Eteḿ vt  
vobis sedere in tribunali cōtra homicidas nō  
liceat: licet tamē certè & in cōcione et in Sen  
nato de ea pœna pronunciare, quę diuinitus  
homicidis sancita est. Christus ipse neminem  
vnquā capitis condemnauit, & tamen idē ex  
lege diuina pronūciat, eum qui gladiū vsur  
pet, gladio perire debere. Nos vero non postu  
lamus à vobis, vt sedeatis iudices in homici  
das: sed vt quę de supplicio illis debito, lex di  
uina decreuit, ea vestris suffragijs cōprobetis,  
Vestrum est munus, vestre partes, eas leges  
tueri & confirmare, quę ab illo Deo pfectę  
sunt, cuius vices in terris vos moriū omniū  
maximè geritis. Quęso igitur vt me attente  
audiatis de re diuinitus tradita orantem: atq;  
exquisitum iudiciū doctrinę vestre adhibea  
tis ad nostrā orationē: cuius vos nō auditores  
tantū, sed iudices esse cupio: à vobisq; sen  
tentiam ferri tandē qua decernatis, an lex Dei  
immortalis in Remp, Christianam recipiēda  
sit, an verò prorsus ex ea reiicienda: quid em̄  
tertium restat? Nam cui per Deum immor  
talem stomachum non faciant frigidi illi au  
ditores

ditores, qui vel non attente audiant quę pro-  
ponuntur, vel si audiant, Tamen nec appro-  
bare, nec reprobare aut sciant aut velint: mul-  
tò verò magis isti, q̄ temeritati suę plus velint  
loci esse in Rep. quā vlli rationi: neq̄ aliud  
crepent quā tyrannicū illud ex tragœdia.

Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.  
Neq̄ verò cōmittam patres vt vos detineam  
longa oratione. Summas argumentorū pro-  
ponam, ac quasi epilogum addam eorū quis-  
dem quę prioribus orationibus tractavi. De-  
inde quantum scelus sit in hac legis diuine  
conculcatione ostendam. Postremo remediū  
indicabo, quod quasi cauterium per vos huic  
morbo applicandum putem. **HOC** igitur  
initium ac fundamentū pœnę in homicidas  
capitalis cōstituende esto, iussum & decretū  
Dei immortalis, quò ille edixit eius sanguinē  
effundi debere, qui hominis sanguinem effu-  
disset: neq̄ accipiendum precium ab eo qui  
sanguinis sit reus, sed statim eū quoq̄ mori  
oportere: Et Christus multorum seculorum  
interuallo in eandem sententiam eum gladio  
perire necesse esse, qui gladio vtatur. Si nihil  
aliud nisi de iure ac lege diuina dicendum fu-  
it, nihil dico amplius patres, causa dicta est.  
Quid enim ad persuadendum firmitus debet  
esse homini Christiano, quā decretū & volū-

tas summi Dei: Quis deo resistere, quis legē  
eius abrogare ausit; Qui Senatus, qui popu-  
li, qui tribuni, qui proceres, qui equites sunt  
tanti, vt eorum auctoritas preferenda sit au-  
thoritati diuinę. Huic decreto & rerum na-  
tura subscripsit, & populi gentium omnium  
exterarum. Cur igitur sola natio nostra con-  
tradicit? Quod verò precium esse dignum  
potest hominis vitę persoluendę? Cur pluri-  
res furtim ablatę estimandę sunt quàm ho-  
minum vitę? Si equi iacturam non aliter  
sarcimus quàm vita furi eripienda, cur vitā  
hominis pecunia redimi patimur? Dura me-  
hercule hæc est hominū conditio in hac Rep.  
vbi iumenta pluri sunt hōinibus, Atqui illa  
condita sunt nostra causa: nec suę domi habi-  
tant sed nostrę; nec fructibus vtuntur terre  
nisi ut nobis vsui esse possint. Quęadmodū  
à Dauide de dei beneficio preclare scriptū est  
hisce verbis, Qui producit iumentis fœnum  
& herbam seruituti hominum. Volumus nē  
seruos & mancipia multò præstantiore con-  
ditione esse domi alienę, quàm ipsos heredes  
suę; nobis verò non tantum iumenta, sed res  
quamlibet leues, modò decem numis grossis  
constent, chariores sunt quàm hominū vitę.  
O leges præclaras, Furi laqueo uitā abrum-  
pito; homicide scelus suum pecunia luere fas  
est,

esto. Quis cacodemon author legis huius & consuator fuisse putandus est: putatis ne huc hominum amicum fuisse? Quae pestis funestior irumpere potuit in naturam humanam? Serpit enim nunc, grassatur impunè in hominum vitas. Nullus finis, nullus modus homicidiorum Gladiatorum & lanistarum plèa sunt omnia, sanguis humanus effunditur, gladij è corpore recens extracti in compositiõibus animi causa ostenduntur, tyrones multi ad tales pugnas deliguntur, cruore hominum quam recentissimo ora illorum & frontes illinuntur, hisce ritibus & ipsi myste sacris suis inicianur, & gladij eorum certis ac destinatis cedibus deuouentur, Quid autem mirum hæc fieri in Repub. vbi mores ad tantam licentiam incubuerunt: vbi plerique equitum nobilitatem suam carnificina putant fieri illustriorem? Qui quot marcas nostratum denarios numerare possint, tot plebeios: quot uerò centenarios tot sui similes interficere audent Quam autem putamus causam esse, patres, tot scelerum, tantarum impietatum? Quam nisi legis diuinæ contempionem & conculcationem? Qua in re quantum sceleris insit, quantum turpitudinis, iam ostendendum mihi puto. Id enim erat de quo me secundo loco dicturum receperam. Aberratum est longissime,



me, patres, à via recta, à veritate, & à deo,  
ipso, posteaquam numationi in hac Rep. re-  
gnandi licentia permissa est. Qua cū per deū  
immortalem recti via insistere potest qui à  
verborum dei via deflexit? Quam veritatem  
inuenire qui se rationibus falsi obstrinxit?  
Quem ducem ille, qui deum & eius verbum  
eiuravit, sequetur preter diabolum? Per enim  
hoc scitè à theologis mihi vsurpatū videtur,  
cū hominem equo cōpararunt, qui alteru-  
tri sessorem deo diaboloūe sit preſto. Quòd  
si ille permisisset se deo insidēdum, habiturus  
esset sessorem peritissimum, talem nimirum,  
qui equis passibus gubernaret vltro euntem:  
resistantem excitaret; coerceret exultantē; lasci-  
uientem in gyros moderatè flecteret: ac via  
recta insistere faceret. Sin diabolo, eum qui  
dem fore sessorem stolidissimū, qui immode-  
deratè vtatur iumento. O: nihil pensi habeat  
planus locus sit an montosus, præceps ne an  
decliuus q̄ decurrēdū sit: q̄ quoq̄ versum curs-  
sim semp: compositè nunquā progrediatur:  
per loca inuia, abrupta, & saxis horrentia dis-  
scurrat: atq; ad ferocitatem & omnē insolentiam  
iumentum impellat. Elegans profectò  
mihi hæc pictura visa est eorum hominum,  
qui Deo excusso, verbo eius tanquā freno cō-  
fracto ac cōculcato, diabolo sese regēdos per-

per

miserunt. Hęc enim recta erat via, hęc ratio  
à Deo constituta puniendī homicidā, vt san-  
guis suus effunderetur. Sed cum defleximus  
ab illa via, qđ aliud restabat, quā vt in auitū  
nos & errores cōijceremus. Quā enim hoc  
est auitum, quā à lege Dei discrepans, vitas  
hominum pecunia estimare, quas filius Dei  
non alio precio, quā sanguine suo redimē-  
das putauit. Deinde quā hoc à via longe,  
lateq; aberrans, cū vitę hominū equa sorte  
in hanc lucem eductorum, sibi inter ipsos cō-  
sanguineorum, sub vnam eandemq; Dei tu-  
telam subiectorum, eodem Christi sanguine  
redemptorum, eandem regni cœlestis gloriā  
expectantium, horum quidem denis, illorum  
autē centenis numorum marcis estimantur.  
Postremo quā illud non auitum modò, qđ  
tollerabilius esset, sed tanquā è saxis ac rupe  
horrēti auulsū, stridet cadendo, ferturq; ma-  
gna vi, non in vllā planiciem, sed in loca visu  
fœda, confragosa, & prærupta omnia, dum  
ita dicitur, plebeius nobile occidens occidit:  
nobilis plebeium interficiens, marcas numo-  
rum decem numerato. Non mihi si lingue  
centum sint, oraq; centum, Ferrea vox, tan-  
tam absurditatem satis improbare possem.  
Non inter homines nata mihi hęc lex vides-  
tur, sed in duris caucasi cautibus. Vnde tan-

dem vi ventorum & tempestatum deuoluta;  
ab hominibus intonsis & incultis, in peruersis  
rupibus agere assuetis, nec ullo vnquam iure,  
eque confederationis consociatis, temere  
reperta est. Qui homines cum postea casas  
& edes simul conferre, ac pagos deinde &  
urbes edificare cœperunt, temere prius legem  
repertam, temere in suam Remp. receperunt.  
Inspiciant autem mihi velim propugnatores  
harum legum mores nationum exterarum:  
vbi ordines sunt quoque distincti nobiliū &  
plebeiorum, & tamen vitę, cędesq; scelere factę  
nō distinguuntur. Non improbo ordinū  
distinctionem. Quis enim hoc improbet, vt  
aliū virtutum vel suarum, vel auitarum stem-  
matis tanquam testimonijs publicis vtantur:  
aliū qui nulla prestanti gloria excellant, non  
item? Et certe Respub. omnes que habent  
vllum respectum virtutis, eę etiam nationem  
nobilitatis habeant necesse est, vtpote que in-  
signe est quoddam virtutum. Quamobrem  
etiam multa in Rebusp. beneficia habent no-  
biles suę prerogatiue. Funguntur honoribus  
multis ad quos plebei aspirare non possunt.  
Quis aut̄ sanus ferat disparitatem illam puni-  
endę necis per scelus factę? Hominum sunt  
illa inuenta nobilitas ac plebeitas. ab homini-  
bus sunt gradus illi constituti virtutis uel

restificandę vel excitandę causa. in his hominib;  
bus licet ingeniosis esse, quę ipsi cōstituerūt.  
At quis sanus, inquam, ferat hominem legis  
latorem in ijs ludentem, quę sunt Dei mune  
re hominum generi attributa? Solus Deus  
homini dedit vitam; solus eam auferre debe  
bat. Sed si quis per scelus illam abstulit ple  
beio, cur minus punitur, quā si nobili ab  
stulisset? Cur similem ob cędem alius capite  
alius vilissimo precio plectitur? Cur ad sce  
lus simile nobilibus animi adduntur, plebeis  
adimuntur? Cur in eadem Repub. manent  
nobiles cum plebeis, si non ijsdem legibus  
viuere, non ijsdem pœnis scelera sua volunt  
vindicare? Ita viri nobiles, cum rerum ferē  
omnium constituendarum, tum vitę plebeie  
leuissimę, ac potius nihili estimandę, potes  
tatem sibi sumpserunt: quasi vel soli essent  
in hac Repub. vel vitam plebeis suo benefi  
cio dedissent. Hoccine est nobilitatis factū?  
hoccine officium ordinis virtute fundati? Re  
gum autoritate confirmati Reipub. benefi  
cijs aucti & ornati? Mitto in presentia com  
munem illum naturę omnis parentē Deum  
ab ijs contemni, qui generis ignobilitatē con  
temnant: Illud quęro iccircone Reipub. or  
dinem equestrem in altiore dignitatis gradu  
locavit, vt ille tanquam ē curru quodam tri  
umphali

umphali inferiorem ordinem despiciat, virtutes eius extenuet, vitam contemnat ac pro nihilo putet? In alijs Rebusp. hoc non est, vtuntur enim dei lege qui pariter vitas hominum ad suam imaginē conditorū estimauit: ac citra vllā distinctionē edixit vt sanguis humanus sanguine vindicetur. In nostra Rep. est Quid ita? defleximus à recta via, deum ducē abiiecimus, permisimus nos insidendos diabolo. Qui nos per inuia abripit omnia, in saxa & montes horrendos ducit, in abrupta & confragosa præcipites agit. Cum enim ille mendax sit & homicida vt Christus testatur, immisit in corda hominum mendacium impertunissimum, vt illi vellent mortes hominum scelere allatas, non capite vt Deus iusserat, sed pecunia vindicare. Hanc viam homicida ille, alteri suo operi nempe homicidijs infinitis expeditissimam sibi struxit. Ita nulla est orbis totius pars vbi fenestra sit maior aperta homicidijs. Quis enim fando unquam audiuit: homines carcere & pecunia plusquā metu mortis suę ab homicidijs arceri posse? videte mores exterarum gentium. Videte (ne procul vos allegem) vicinos nros Prutenos, non eos tantum qui principis Alberti, sed qui etiam regis nostri imperio subiecti sūt, videte & eos Silesios qui nobiscum regis dicto nō obediens,

obedientes. Qui utcumq; indulgeant sibi (ut  
mos est hominū) in alijs peccatis, à cędibus  
certę, mœtu mortis pręsentis sunt abstinenti-  
tiores. Viget enim apud hos populos lex di-  
uina capite plectens homicidas. Mirum verò  
cur non mōhemur his vicinorum ac potius  
domesticorum nostrorum exemplis, qui  
& ipsi regis imperio nobiscum obtempe-  
rant: hac certę re cultu legis diuinę, sunt mul-  
tò fœliciores. Sed ferunt nostri equites prę-  
mium operis sui. Tot enim & tantis cędibus  
in sese mutuo grassantur ut prouerbio sit lo-  
cus apud illos quo dicitur malum consilium  
consultori pessimū. dubitatis nē igitur patres,  
inuentum esse diaboli nostram numationem  
& imparem illam vitę cędisq; hominum, esti-  
mationem: dicam enim id quod res est. atq;  
id eo liberius quod mihi hęc oratio apud  
vos habetur viros doctissimos, ac rei chrīanę  
peritissimos, oportere Remp. nostram aut  
vniuersam legem dei recipere: liquidem chris-  
tiani nominis titulo vult cęseri: aut exclu-  
dere cunctam, voco autē legem dei non quā  
propriē Reip. mosi, sed quam generi mor-  
talium uniuerso tulit. inter quas illam legem  
sanguinis sanguine uindicandī, numerandā  
esse prioribus orationibus ostendimus. si quę  
igitur Resp. omnibus alijs legibus receptā hęc  
vnam

vnā excludat, eam q̄dem Remp. nullomodo  
christianā esse contendo. notum est em̄ illud  
Iacobinum qui fecisset omnia lege precepta,  
vnā aut̄ legū uiolasset, eum quidem eo loco  
habendum esse ut si totā legē violaret. quod  
si id uerum est de ijs qui humana fragilitate  
delinquunt, quid tandem de ijs statuemus qui  
importunitate, temeritate, contumacia, atq̄  
adeò lege contraria contrā deum erecta, pecc  
cent: Neq̄ enim hic de ijs peccatis iam dispu  
tandum est quę in fragilitatem humanam ca  
dant: quę quidem tot & tanta sunt ut de ijs  
sedulò rogandus sit deus ut remittat nobis de  
bita nostra: sed de ijs quę, lege contra deum  
lata, iam non pro peccatis, sed pro bonis ope  
ribus à nobis habentur. O quanta blasphe  
mia hæc est nominis diuini: quāta cōtume  
lia maiestatis illius. olim precepit deus Ade  
ut ne uesceretur de ceruo pomi genere: cuius  
esus perniciem illi esset allaturus. Inuentus  
est calumniator ille mendax, qui menti ho  
minis rem contrariam suggestit ut comederet  
neque enim eum moriturum, sed fore potius  
similem deo. Precepit postea idem ille deus ut  
sanguis humanus sanguine uindicetur. In  
uenta est natio hominum, quę illo mendacij  
patre instigante non sanguine sed pecūia ho  
micidium sanxit. An uerò uobis prēs nō hoc

Bij pecca

peccatum illud uidetur quod Christus uocet  
in Spiritum sanctum: nunquam quidem res  
mitendum nec in hac nec in futura uita: neq;  
enim fragilitate in hoc peccatur sed malitia  
destinata. queso vos patres, si qui homines  
excludere uellent precationem dominicam de  
qua sibi à deo scirent præcepta esse data, an  
tales in numero populorum dei reponendi  
essent, utcunq; seruaissent omnes partes reliq;  
quas legis: non loquor de ijs qui omisissent  
qualibet causa preclari: Tales enim permulti  
sunt, & talia peccata sunt negligentie ac fra-  
gilitati attribuēda: sed de ijs qui lege lata pror-  
sus è sui medio exterminatam uellent preca-  
tionem: Ego quidē tales in ecclesiam diaboli  
prorsus reiecero. Age nunc cum illis ipsis pre-  
cationem extrudentibus nostros Solones cō-  
parate. Suntne illis non quā similimi: vtriq;  
profecto prohibentur à Deo sancitam &  
mandatam. Qui se, formula precandi expres-  
sa, iussit inuocari, idem ille homicidium capi-  
te plecti iussit: idq; non solis iudeis, ne quis  
id calumniatur: sed vniuersę nature humane.  
Nam & ante exitum Iudaicę religionis, &  
in eius occasu uoce cœlesti hæc lex sancita &  
confirmata est. Quod ego hic non difficile  
historia sacra comprobarem, nisi rem totā la-  
tissime prioribus oratiōibus prosecutus fuissē

Quid



Quid igitur de ijs statuendū putamus qui tur-  
pissimē abutuntur sua potestate enūcianda le-  
ge dei ex hac Rep. vtro in regno numerandi  
sunt dei an diaboli? quid enim restat tertium?  
mihi quidem meritō atq; optimo iure in reg-  
num diaboli vnā cum exterminatoribus illis  
precatōnis, conijciendi uidentur. neq; uerō  
temerē hoc dictum existimari uelim. Ipsum  
mihi uerbum dei potestatem dat & sentiendi  
ita ut dixi & loquendi. Ipse christus ex patre  
diabolo natos esse pronunciat omnes uerbo  
dei aduersantes. Ipse affirmat eos cōtra se esse,  
q; secū non sint. Ac ne illud quidem facio, ut  
tam diabolo adiudicandos putem illos exter-  
minatores legis diuine: sed quale id factum  
eorum sit, id ex uerbo Dei pronuncio: quod  
recti & prauī norma est. Tametsi quid inter-  
est opus damnes aliquod. Et uis auctorem?  
puniūtur enim qui peccauerunt: ornantur &  
laudibus & premijs qui rem preclare gesse-  
runt. Paulus hominem stupro notatum ma-  
gno animi impetu cū tota ecclesia non dubi-  
tat tradere Sathane. Cur igitur non liceat uos  
bis, eadem uerbi dei auctoritate preclatis, eos  
homines Sathane tradere, qui uerbo Dei ad-  
uersentur? Etenim ille idem stuprator quod  
fecit fragilitate humana fecisse putandus est,  
Nec enim interea ueritati resistebat: nec id  
faciebat.

faciebat vt illam in Remp. vellent legem rece-  
ptam, stuprum rem esse honestam. At legisla-  
tores nostri animo obstinatissimo sciētes vo-  
lentesq; contra Dei, populorum, & na ure  
ipsius vocem, legem numationis erexerunt.  
Hanc tuentur & defendunt contra regis sui,  
contra principum multorum, deniq; contra  
populorum & fratrum suorum voluntatem.  
Quis igitur istos dubitet esse diaboli instru-  
menta, in quibus mirabiliter exercet imperiū  
suum ille homicida: an igitur isti existiman-  
di sunt in ecclesia Dei: an nō digni sunt, qui-  
bus sacris, aqua & igni interdicator. Et q̄-  
niam me huc superior perduxit oratio, vt qd  
isti Solones nostri cōmeriti videant, dixerim,  
puto sententiam quid in ea re facto opus esse,  
quamq; quasi medicinam huic malo adhibē-  
dam p̄m, liquidus à me dici oportere. Is  
em̄ tertius est locus à me in hac oratione per-  
tractandus. Neq; verò id fecero patres, quasi  
vobis voce mea preire velim: sed vt ne ea pars  
desyderetur in nostra oratione. Turpe enim  
esset de morbo dicenti, remedij fecisse mentio-  
nem nullam. Illud igitur mihi ordinis vestri  
esse videtur, vt quiq; in concionibus publicis  
enormitatem sceleris rāti, quantū possit exag-  
geret: atq; ad id faciendum adhortetur theo-  
logos omnes, qui vel publicē doceāt in tēplis,  
vel pri

vel priuatim operam dent peccatis hominum  
audiendis. Haud scio an anni præterierint de  
cem, quòd mihi pœna diuina, cuius toties mē  
tionem feci, de literis sacris sit cognita: qui ta  
men nō omnino rudis eram in biblijs sacris.  
Quo mihi verisimile fit, plerosq; in hisce lites  
ris nunquā versatos, etiamnum huius rei nō  
satis exactam habere cognitionem. Nam vt  
cunq; feriant voces illę eorum aures: Tamen  
non satis fortē in animum demittuntur. Ita fit  
vt non seriò tangantur cura tantę rei. Res mi  
hi itaq; digna videtur, vt omnes ecclesię, om̄s  
scholę personent vocibus istis. Improbetur  
quāmaximē numatio nostra: turpitudò eius  
& incōmoda, quę secum trahat ob omnium  
oculos exponantur. Credite mihi patres hoc  
remedium non fore inutile morbo numatio  
nis depellendo. Est & illud alterū cuius pro  
ximē mentionem feci, vnde a rebelles & Dei  
verbo repugantes gladius ille exercatur: quē  
Paulus cū ecclesia Corinthiaca stuprator  
rem illum exerendum putauit. Profecto em̄  
exterminatoribus istis tanquā reis, capitū q̄  
dammodo causa dicenda esset: aut certē iudi  
cium in eos ex formula à Christo expressa cō  
stituentum: ac nisi resipiscant atq; actiōibus  
à Deo mandatis vitę emendationem testari.

C ac pro

de promittere velint, sententia excommunicatiōis  
in eos ferenda: qua illi se non Christi: sed di-  
aboli membra, nisi in viam redeant, esse co-  
gnoscant. Non enim excommunicatio ob tantū  
facinus in legem Dei commissum, vana que-  
dam & inanis sententia putanda est: sed que  
secum & in hac vita trahat pœnam & cala-  
mitatem præsentem: & in futura, nisi qui rei  
sunt resipiscant, perpetuos ac nunquam fini-  
endos cruciatus. Quemadmodum & Paulus  
Corinthium illum quem ob stuprum ex cœ-  
tu eiecerat, profitetur se Sathanę dedisse vexā-  
dum & affligendum: & Stilconis scribam ab  
Ambrosio propter falsi crimen excommunica-  
tum, furore correptum fuisse, ex historia ipso-  
us constat: Et à Christo non obscure signifi-  
catur, eos qui sententia huiusmodi eccle-  
się in terra damnati sint, in cœlo quoq; dam-  
natum iri. Quod non insolens videatur, vt sa-  
cris arceantur isti tyranni, illud tamē credo sa-  
cultatem habere poterit, vt theologi, qui pecc-  
atis hominum examinandis priuatim vacāt,  
hoc malum iustissimis propositis causis exag-  
gerent: ad pœnitentiam istos tyrannos in-  
uitent. Que quidem pœnitentia vera esse, nō  
potest nisi resipiscant: ad frugē sese meliorē  
recipiant: atq; id corā ecclesia, actiōibus à deo  
mandatis

rorum proditum extat, & nos in Lascio fusi  
us demonstrauius. Ceterum de ipsis homi  
ci dis, qui voluntariã cędem perpetrarunt, to  
ties sentētia diuina repetita est. QVI volens  
hominem occidisset, eum quoq; occidi neces  
se esse: Et, NON accipiendum precium ab  
eo, qui reus sit sanguinis, sed eum quoq; mo  
ri debere. Sed de homicidijs satis. DE propu  
gnatoribus verò Polonicę numatiōis an, ad  
huc dubitamus puniri eos debere: an impuni  
tatem habebūt & licentiã sempiternã ad  
cedes nefarias homines scelestos armandi: pro  
fectò enim author sceleris esse putandus est,  
qui cum potestate existens, vel non puniri  
vult, vel non pro eo puniri ac equum est, pec  
cantē. Pręclare illud dicitur, quod nos in Las  
scio rationibus adhibitis planum fecimus, cō  
sentientes & facientes pari pœna puniendos  
esse. Id si admittimus: numationis defensores  
simili pœna cum homicidis puniendos esse,  
admittamus necesse est: Sin hoc durum esse  
videatur, quę iustior pœna in eos erit, atq; ea  
quã de libris religionis nostrę exposui: Quod  
si ex cœtibus Christianis raptores decimarũ,  
manuum in presbyteros iniectores, templorũ  
violatores, enjciuntur, an ferendi sunt isti, qui  
numatione defendenda, quasi gladium porris

gunt homicidis: Iure igitur optimo ab ecclesia ejiciendi, sacris arcendi, aqua & igne omnique humana consuetudine privandi sunt. Hęc mihi medicina patres, morbo de quo agimus adhibenda videtur, non certę aliena munere vestro, ac vix est (quod ego sciam) alia, quę ab hominibus ordinis ecclesiastici confici possit. Neque verõ crederem eam medicinam in ecclesia Dei multum valere posse, nisi & à Deo ipso propositam, & à prophetis ac apostolis vsurpatam viderem. Quorsum enim illa? clama, non cessa: Sicut tuba exalta vocem tuam; exprobra populo scelera sua: argue fratrem primum nemine conscio, deinde aduocatis testibus, postremo nisi resipuerit, dicito ecclesię, & quę deinceps sequuntur, sunt enim nota omnibus. Ad hęc accedunt apostolica dicta, quę ut argue oportune, importuna: Viuidus est sermo Dei, & acuto omni gladio penetrantior. Exemplum etiam notum est Pauli, quod in stupratorem edidit ejiciens illum de ecclesia: sed magis horrendum & plane tragicum Petri, cum Ananias & Saphira mentientes spiritui sancto, vi verborum illius collapsi expirarunt. Non igitur vulgare remedium putate patres, quod non de meo sensu, sed de literis mysticis recitavi.

Iam

Iam nihil necesse esset, vt officij vos admonerem vestri, nisi ordo vester negligentie hac in causa vulgo notatus esset. Dicam omnino libere, vt decet hominem veritatis amantem, atq; hoc in loco, hocq; in confesso dicentem. Vos si quis animis audieritis hanc reliquam orationem, magnum dabitur documentum vos vt decet homines veritati amicos, libertatem sententie dicende non aspernari. Profecto pleriq; homines non prorsus stupidi plus in vobis qui estis in Senatu desyderat officij in dicenda sententia de hac causa. Neminem viuorum nominabo. Et sunt inter vos quorum sententia vituperari non possit. Eorundem tamen constantia & contentio in dicendo agendoq; maior iure desyderatur. Sed erunt qui de viuis post fata loquentur. De eo qui nuper e vita migravit loquar Sebastiano Branicio Posnaniensium Episcopo: Etenim ille ab hinc triennium, cum vnus ex ijs esset, qui viribus patrie emendandis delecti erant, rogatus de poena homicidij sententiam, ita dixit, vt nullam prorsus poene diuine mentionem faceret. Erant quidam in eo delecto- rum numero, qui eius pertenuem, sed tamen nonnullam, & quasi in transcurso, mentionem fecerunt. Erat etiam nonnemo qui ei prorsus

C iij. reclamare

reclamare visus est. Branicius verò periculís  
ex numatione redundantibus copiosè enu-  
meratis, pœnam vsitatam duplicarè voluit.  
Tùne Branici probare te posse hanc senten-  
tię dictionem tuam bonis viris existimas: ne-  
cessè est enim aliquod horum esse, vt vel lex  
diuina tibi fuerit ignorata: aut nulla cura af-  
fecerit te illius: aut tibi fuerit odiosa: aut moe-  
tu aliquo abductus sis ab ea suadenda. Igno-  
rantiam prætexere non potes, qui legum diui-  
narum & religionis custos fueris & antistes.  
Odiosam verò quomodo tibi fuisse diceres,  
nisi te à Deo hominibusq; summi sceleris cõ-  
demnatum velles. Quòd si nulla tibi cura fu-  
erit illius suadendę, dolendum est sanè tales  
eò loci esse, vbi cum possint, non velint de  
Deo benemereri. Neq; verò minus dolendū  
est, si timore tacite reliquisti veritatē diuinā,  
pro quā nemo bonus, cū opus est vitam pro-  
fūdere recusat. Multo melius & Ambrosius  
Mediolanensis, & Stanislaus Scepanęus  
Cracouiensis episcopi sanctissimi. Quorum  
ille in Theodosium imperatorem Romanum,  
vt proximè dixi, ob plures quàm equum erat  
homines, iussu ipsius trucidatos, ecclesię com-  
munionem priuandum putauit, nec eundem  
sine pœnitentię publica significatione, eidem

commu



communione restituit. Iste verò Regem Bo-  
leslaum ob tyrannidem non minore seue-  
ritate etiam ex communione eiecit. O viros  
verè heroicis. O pastores vigilatissimos, qui  
non pro lana, vt aiunt, caprina, sed pro salute  
ouium suarum certamen cum lupis susci-  
pere non formidant. Comparete mihi cum  
tanta illorum virtute celatum argentum, ves-  
tes preciosas, census, satellites, & splendida  
tecta, quibus se homines nostri temporis ma-  
gnificos fieri volunt, an non hec omnia mi-  
randum in modum sordescunt? Sed de Am-  
brosio multa preclara monumentis literarum  
prodita sunt. Stanislai exemplum nobis certè  
est domesticum, dignum sanè quod omnes  
boni, sed in primis ecclesiarum duces imiten-  
tur. Etenim ille ne mortis quidem metu per-  
terrerè potuit, quo min⁹ Regem sceleros-  
sum acerrimam ac fortissimam sententiam  
ferret. Hunc virum proponite vobis viri am-  
plissimi ad imitandum, si veram & solidam  
gloriam, apud Deum & homines nunquam  
intermorituram consequi vultis. Enimverò  
vobis multo facilius est ratio rei conficiendę  
quàm Stanislao. Ille enim Regem habuit si-  
bi maxime infestum, amentia precipitem, om-  
ni diritate ac immanitate teterrimum. Vos

Bv regem

Regem habetis in hac causa studio mirabilis-  
ter precurrentem, à vero constanter stantem,  
atq; omnes suos quasi sublato signo ad veris-  
tatem vocantem. Turpe vobis est vinci ab  
aliquo in ea re, cuius vos principatū appetere,  
& certq; tenere debetis. Erat Stanislao inso-  
lencia, ac potius immanitas Regis furētis frā-  
genda ac continēda: I dēp vīq; eō persecutus  
est, vt ob id tandē quasi victima Regis manu  
ad aram sacrā mactatus fuerit. Vobis verò  
Rex metuendus non est: sed summa potius  
obseruantia colendus. Preit ille vobis iamprī-  
dem voce sua. Hunc vobis ducem non stre-  
nuē subsequi turpe fuerit. At verò vos non  
subsequi tantūm ac vestigijs Regis insistere,  
sed rem ita coagmentare potestis vt tādē fa-  
cilis ad exitū perducatur. Ostendi enim quā-  
tum potui ratione proprias muneris vestri,  
quibus facile contravenire resistentibus pos-  
sitis. Nunc iam mihi credite successus habebit  
prosp. ros hoc negotiū, nisi quasi iunctis um-  
bris certamē contra rebelles susceperitis:  
nisi contentionem & perseuerantiam in a-  
gendo maximam adhibueritis. Quod si vos  
hac in re hastas ( vt aiunt ) abieceritis, neq;  
vos ad rationes Regis diuinas adiunxeritis,  
neq; vestras vestriq; muneris proprias profes-  
quuti

quuti fueritis, quę tandem spes religioni ac  
Reip. à vobis esse poterit in arduis & pericu-  
losis rebus si eam in re periculis uacua deseris-  
tis: an vos Stanislaios vnquam futuros spera-  
bimus: an tyrannidem in Rep. (si quę exta-  
ret.) à vobis opressum iri putabimus, si pia  
principis vestri studia, propter quorūdam in-  
ueteratam potentiam vel prorsus non iuueris-  
tis, vel non pro eo ac decet iuueritis. Sed spes  
ramus de vobis meliora. Agite igitur patres  
amplissimi, Patrię à vobis omnia preclara ex-  
pectati succurrite. Videtis in vos solos homi-  
num oculos esse conuersos. Illi à vobis petunt  
vt oraculo diuino in hac Rep. possit esse lo-  
cus, qui estis dei oraculorum custodes & in-  
terpretes. Quo enim miseri se vertant: an ad  
Regem suum: & ille quidem diligētissimam  
operam multos annos adhibet legi diuine san-  
ciende, dignam quidem principis Christiano:  
sed nescio cur tot sanctę eius hortationes ne-  
glectui habeantur: an ad alios viros prestā-  
tes qui in eadem sunt sentētia cum suo Rege:  
at eorū quoq; authoritas nō pluris est autho-  
ritate Regis. Ad vos igitur Rex, ad vos prin-  
cipū multi, ad uos pleriq; equitum, ad vos om-  
nes boni se conuertunt, vos intuentur, vestrā  
opem desiderant. A vobis postulant vt qui  
sacris

sacris præestis sacrã Dei legem in Remp.  
recipi curetis, vobis commendant existimatio  
nem huius patrię, vt, quę apud omnes nati  
ones male ad hunc diem audierit propter ido  
latricam numationem, recreetur aliquando,  
lege Dei recepta, fama meliore. Respicite pe  
ricula, quę cum numatione coniuncta sunt,  
& cedes innumeras per summã licentiã fa  
ctas. Vulgares sunt istę, quę veluti animi  
causã fiunt, vel in itinere, vel in symposij. Ille  
rarioris olim erant, sed iam increbuerunt, cū  
quidam humanitate omni exuti, in sexum  
muliebrem seuire, pietatem ledere, germani  
tatem violare, sanguine fraterno manus suas  
madefacere audent. Non iam frater à fratre  
tutus, non vxor à viro, non vir ab vxore.  
Trucidantur passim & prophani & sacerdo  
tes. Tempia & cœmiteria violantur: arę san  
guinę consperguntur. Iura omnia & diuina  
& humana scelerate peruertuntur. Quid, an  
illud non nouum? vim aliquibus vestrum  
qui cū potestate estis gladiatores isti denun  
tiant: ignem, crudelia omnia, ac cede ipsam  
minantur: profitentur id literis, ferro cruore  
tincto, ligno semiustulato. Quamobrem?  
Quia eos putastis ob cedes sacerdotum ex  
templis edicto legitimo eijciendos. Isti igitur  
si poena

mandatis testentur. Quemadmodū Ioannem  
Baptistā p̄clare concionatū accepimus, regnū  
Dei p̄pe esse ijs q̄s vitę prioris p̄niteat, q̄q̄  
fructus edant p̄nitētia dignos. Quod si qui  
sint, qui peccata confessi huiusmodi resipiscē  
tiam defugiāt, ijs quidem nulla absolutio im  
pertienda, nulla delicti venia danda est. Quo  
modo enim scelere solueretur, quem non p̄ni  
teret facti: quo modo autē eum p̄niteret,  
qui sui similis esse pergeret, nec operibus deo  
placentibus vitam se suam emendatum ire tes  
tari vellet. Ligandi igitur tales sunt vi ver  
borum dei in terra, vt ligentur & in cœlis, ar  
cendi sunt prorsus à sacramento corporis &  
sanguinis domini, qui se nec sibi ipsis, nec ec  
clesijs probare possunt. Et id quidem de So  
lonibus qui numationem tuentur dictum sit.  
De homicidijs porrò ipsis, & de eorum varie  
tate, & si quedam in Latino diximus: Tamē  
hic nōnulla addemus. Homicidiā iusto quo  
dam dolore cōmissa leuius apud ethnicos pu  
niebantur vt de Oreste accepimus, qui cum  
vltiscendę necis paternę causa, matrem occis  
isset, hominum consuetudine exclusus erat:  
signūq̄ quo ab hominibus homicida cognos  
ceretur publicę ferebat. Is em̄ mos temporū  
illorum fuisse videtur, exempli causa institu

us vt ne alij ad similia facinora procliuēs es-  
sent, & ipsi homicide vitā emendarent, ac me-  
liores esse discerent. Itaq; signum quo scelus  
suum quasi publicē confitebantur, tantisper  
gerebant, dum tempore luctus exacto, certo  
ritu, & quasi publica pœnitentię testificatiōe  
cœtui hominum restituerētur. Non dissimile  
est quod à Christianis Episcopis vsurparum  
olim legimus. Vt cū Theodosius senior im-  
perator Romanus vindicando cœdem militis,  
iniustam quidem illam, sed tamē seuerius pu-  
niuisset, ac propterea plures equo necari ius-  
sisset, ecclesię communionē ab Ambrosio ex-  
clusus erat. Cui quidem cōmunioni nō prius  
restitutus est, quam statō tempore in pœni-  
tentium numero squallidus signa pœnitentię  
publicē edidisset, pronus in terram procubuis-  
set, omnesq; satisfactorum leges homicidīs  
prescriptas impleuisset. Et quidē Ambrosio iu-  
bente & prescribēte, Theodosius magna ani-  
mi equitate executus est. Deus etiam variās  
infligit pœnas homicidīs, vt regem Dauidem  
ita puniuit, vt & regno eiiceretur, & sapiētię  
ac virtutum gloriam perderet. Casu perpe-  
trata homicidia, & quę tuendā vita nostra à  
nobis admittantur, aut nulla pœna aut ferē  
etiam exilio puniri debēt, vt in libris Nume-

rorum

si pœna diuina fuissent puniti, an essent me-  
tuendi? Hęc cùm vos & quemque bonum  
plurimum debent commouere, tum in primis  
curandum est ne hęc macula numationis, ne  
dedecus, ne scelus turpissimum, quod hanc  
Reip. ad hanc quasi senectam suam profes-  
sionem est, idem ad extremum eius diem &  
quasi ad sepulturam ipsam cōcomitetur. Etes-  
nim tempus mutationis rerum propè instare  
animi hominum non prorsus stupidorum,  
nescio quo pacto presentire videntur. Ani-  
maduertunt mundum quotidie magis quasi  
senescere; hominū malitiā crescere: Signa diui-  
nitus olim p̄dicta multa cōcurrere, vel maxis-  
mi belli, vel rerū inclinationis p̄eruntia. Ut  
igitur macula illa numationis, Reip. nostre  
inusta aliquando tandem eluatur, profectio  
ratio officij ac potius p̄p̄rietas, quam patrię  
debemus, nos omnes hortari debet. Cuius rei  
procurandę in re ferè desperata & ab omni-  
bus deserta vobis in primis facultatem ab ip-  
so Deo reseruata puritate. Quamobrem per  
Deum immortalem cogitate hęc vobiscum  
patres: in rem p̄clarā tota mente, totoq̄  
animi impetu incumbite. Date gloriam Deo  
immortali: numationem ex nostris finibus  
extrudite; Reip. Christianę legem suā reddite:  
Conspirate

Conspiratē cum Rege: cōsentite cum bonis;  
hostes legi diuine deserite; rebellibus resiltite;  
in probos coercete; indomitos effrenatosq;  
& ad mentis sanitatē redire nolētes, ab  
ecclesia exterminate, Ne si occasio  
nem pretermiseritis rei geren  
de. Veniat tempus, quo  
cum velitis esse in  
officio non  
possitis,  
Dixi.



XVI/31





XV

BR

XVI WIEK

BROSZURY





